

Universitätsbibliothek Wuppertal

**Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria,
Historica, Critica**

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1660](#)

A E Q U O E T E R U D I T O

L E C T O R I

S. D.

JOANNES THEODORUS BERGMAN.

Constat, paticos ab omni aetate fuisse, qui doctrinae ubertatem cum scribendi elegantia ita coniungerent, ut non tantum civibus et aequalibus, verum etiam exteris et posteris, perfectum preberent bene et cogitandi et dicendi exemplum; in quod intuentes, utilissimarum rerum scientia ingenium alerent, judiciumque ad omnis veri et pulcri sensum formarent. Talis fuit olim, in ipsa Literarum renascientium luce, Marcus Antonius Muretus, qui cum accurata veterum Literarum et philosophiae scientia doctos suae aetatis homines longe lateque superavit, tum scribendi laude sic excelluit, ut ex ingenti illorum numero, qui Ciceronem imitari vellent, et sese Ciceronianos profiterentur, unius omnium ad Ciceronis praestantiam proxime accederet. Tales fuerunt nostra et patrum nostrorum memoria, et in hac ipsa Musarum sede, duo principes Viri, Ruhnkenius et Wyttenbachius. Quorum virorum scripta quo pluribus eminent eruditionis et eloquentiae dotibus, quoque similiora sunt praeclaris illis Antiquorum libris, quibus unice cen-

se-

ii P R A E F A T I O.

setur vera sapienter et copiose dicendi laus; eo magis sunt juvenibus venerum antiquarum studiosis commendanda, et nocturna diurnaque manu versanda. Fit enim, nescio quomodo, ut juveniles animos subinde magis afficiant et delectent diserta recentiorum scripta, quam immortalia vetustatis monumenta; propterea quod haec plerumque in arguento versantur ipsis parum cognito nec usitato; illa autem, cum materiae delectu, tum orationis habitu, ad hodiernae actatis sensum captumque magis accommodate composita esse solent. Neque alia fuit Ruhmkenio causa, cur dispersa Mureti opera tam studiose colligeret et nova editione frequentaret; quam quod illis egregium ad Veterum intelligentiam adjumentum contineri existimabat. Neque fateri dubitavit Wyttenbachius, sese ad Latinitatis studium quodammodo magis legendis Mureti orationibus, quam ipsius Ciceronis, excitatum esse; et, si quid ad scribendi facultatem profecerit, ejus se magnam partem Mureto debere. Bibl. Crit. P. X. p. 115. et Philom. L. I. p. 209. Tantae utilitatis est, in Antiquorum scriptis assidue versantem, ex recentioribus ut quisque veterum simillimus est, ita hujus lectionem cum illorum studio conjungere. In horum autem numerum, si a Mureto recesseris, communi omnium intelligentium judicio referuntur principes illi, quos diximus, Ruhnkenius et Wyttenbachius.

Er-

P R A E F A T I O.

iii

Ergo laudabili consilio, Luchtmanni, Bibliopola clarissimi, ante hoc biennium conjunctim in lucem emiserunt *Wytttenbachii Opuscula Varii Argumenti*, temporis ordine disposita. Nunc autem, eodem ducti literas juvandi studio, similem Ruhnkenii scriptiunculis operam navare statuerunt: qua in re quid sibi propositum habuerint, paucis expoundendum videtur.

Tertium nunc prodeunt Ruhnkenii Opuscula. Capto enim ante aliquot annos *Elogii Hemsterhiani* una cum duabus *Bentleji ad Hemsterhusium Epistolis*, ex altera ed. a. 1789. repetendi consilio, mox aliis item additis, publici juris fecerant Luchtmanni D. R U H N K E N I I *Opuscula Oratoria, Philologica, Critica, Lugd. Bat. 1807.* Quo volume, praeter illa quae diximus, tunc primum conjunctim editae sunt *Orationes* duae, altera *de Graecia Artium ac Doctrinarum Inventrice*, altera *de Doctore Umbratico*; itemque *Dissertationes*, de *Galla Placidia Augusta*, de *Antiphonte*, de *Tutelis et Insignibus navium*, et *de Longino*. De singulis in Praefatione dicitur. Universam autem collectionem egregia censurâ commendavit Cl. Wytttenbachius Bibl. Crit. P. XII. p. 88 – 91. Sed ecce, clauso Britanniam inter et nostras regiones commeatu, accidit ut eodem tempore eandem rem ageret nobilis Bibliopola Londinensis *Gul. Henr. Lunn*, qui illo ipso anno suis impensis prodidit *Opuscula Ruhnke-*

P R A E F A T I O.

niana, adjutore usus THOMA KIDD, A. M. e
Coll. S. S. Trinitatis Cantabrigiae, qui docta et
lectu digna Praefatione ac necessariis Indicibus de
hac editione bene meruit. Cujus quidem Praefati-
onis haec est ratio ut, praeter alia multa, de sin-
gulis fere Ruhnkenii scriptis dicatur, et subinde
breves animadversiones, eaeque non plane contem-
nenda, in medium proferantur. Omninoque est
haec Editio Londinensis Batavā partim locupletior,
quippe quae multa habet sibi propria ac peculiaria,
quae in altera frustra quaeras; partim contra pau-
perior, utpote quae ne ea quidem omnia complecti-
tur, quae sunt in Ed. Batava. Caret Elogio Hem-
sterhusii, caret Dissert. de Longino, caret aliis,
quae si adessent magno cum fructu legerentur. Unde
factum, ut utraque Editio suis se dotibus commen-
daret: neutra autem suis numeris absolutam com-
pleteretur Opusculorum Syllogen. Quamobrem
nihil hoc tempore sibi prius aut antiquius duxerunt
Editores, quam ut Viri Celeberrimi Orationes, Dis-
sertationes, Praefationes, et reliqua minora scripta,
nisi omnia, at quam plurima, et quae huic consilio
aptissima viderentur, in unum colligerent, atque ita
utriusque dotes editionis conjungerent. Tum statue-
runt scriptiones omnes temporis ordine collocare,
ut a quibus initii ad quantam praestantiam brevi
progressus sit Vir eximus, oculis, ut ita dicam,
cerneretur. Porro, reliquo libri argumento Episto-
las

M. e
octa et
ibus de
Praefat-
de sin-
subinde
contem-
que est
pletior,
culiaria,
tra pau-
mplecti-
io Hem-
et aliis,
ir. Unde
commen-
am com-
amobrem
duixerunt
nes, Dis-
a scripta,
c consilio
atque ita
m statue-
collocare,
iam brevi
ta dicam,
co Episto-
las

P R A E F A T I O .

v

las addendas censuerunt, cum antea jam editas, tum, si quas nanciserentur, novas. Denique, haec omnia summa fide repraesentare voluerunt, et ita ut ex ipsius Scriptoris eruditissimi manibus exierunt; quae autem, sive ex Praefatione Edit. Londinensis, sive aliunde desumta, brevi annotatione commemoranda videbantur, ne cum Ruhnkenianis temere confunderentur, uncinis quadratis plerumque cautum est; aliis autem locis per se satis est perspicuum. Haec breviter monenda videbantur: e quibus dilucide appetet, et quomodo hoc Opusculorum Volumen, in duos Tomos distinctum, natum sit; et Editoribus ante omnia id consilii fuisse, ut librum ederent nec mole sua valde molestum, et doctrinae fructu uberrimum, et omnino talem, qui possit et doctis placere, et tironibus Literarum elegantiorum studiosis utiliter commendari.

Jam exposito in universum hujus Operis consilio, sequitur ut de singulis ejus partibus, sive scriptoribus, deinceps dicamus. In quo quidem arguento sic versari constituimus, ut simul, data occasione, nonnullas Vitae Ruhnkenii partes attingamus, nondum satis aut cognitas aut illustratas. Nam etsi, quod ajunt, post Roscium in scenam prodeat, qui de Ruhnkenio post Wyttbachium scribere velit; accidit tamen, singulari quadam Literarum felicitate, ut post editum Wyttbachii librum, haud pauca innotescerent, quae ipsi novam lucem

affunderent. Quae si quando novae editionis consilium (*) perfecisset Wyttenbachius, quin sua facturus fuisse, non dubitamus. Quo magis operae pretium videtur, eorum nonnulla hoc loco in medium afferre.

Ac de prima quidem Vitae Ruhnkenii parte non est quod multa dicamus; quum constet eum in Pomeraniae urbe Stolpa d. 2. Januar. a. 1723, parentibus honestissimis natum esse. Nam, quod ipse obiter scribit Rittero Ep. X. infra hujus Voluminis p. 867. vix tanti est, ut ejus ratio habeatur. De juvenili institutione, quam primum in schola Schlavensi, duce Kniephofio, post, adolescens factus, Regiomontii in Collegio Fridericiano percepit, paucis retulit in Ep. ad V. Doct. V. D. Wilp, p. 872. ubi, missis aliis, refert, anno aetatis decimo sexto, patria valere jussa, in celeberrimas Germaniae Academias sese contulisse, ibique per quadriennium, et quod excurrit, versatum esse. Quae ne cui pugnare videantur cum iis quae narrat Wyttenbachius p. 11 — 14, eum, decursis Collegii Fridericiani spatiis, duodeviginti annos natum, domo profectum esse, et in una Witebergensi Academia biennium transegisse; tenendum est, videri Ruhnkenium etiam illud biennii spatium, quod inde ab anno sexto decimo in Collegio Fri-

de-

(*) Quod ipsi fuisse significat Mahnius V. Cl. in Epistolis Sodalium Philomathiae p. 18.

dericiano traduxisset, annumerare studiis Academis, quibus inde a duodevigesimo, ac per duos sequentes annos, Witebergae operam dedisset. Quomodo omnis difficultas facile evanescit: ne nunc dicamus, literas illas ad Wilpium ex eo genere fuisse, ut sufficeret universe scripsisse, nec singula accuratius referre attineret.

Biennio igitur Witebergae transacto, progressum specimen prodidit duas illas *Dissertationes de Galla Placidia Augusta*, quae nunc in hoc volumine primum locum tenent, antea a. 1807. tam in Batava nostra, quam in Londinensi Ed. repetitae. Earum alteram, praeside Rittero, ipse Ruhnkenius; alteram, praeside ipso recens Philosophiae Magistro dicto, ad publicam proposuit disceptationem Christophorus Klaerner. Ac scripsit eas quidem Ruhnkenius juvenis, annos natus viginti, sed ita scripsit, ut, judice Saxio V. Cl. Onom. Literar. P. VIII. p. 69, *futurae celebritatis suae (lege sui) nominis haud fallax jam illo tempore ederet signum*. Quae etsi verissime dicta sint; vide tamen, quam tenuiter de suo ipse opere, paulo maturiore aetate, senserit scriptor, qui, post quadriennii spatium, a. 1747, in Ep. ad Ritter. I. p. 772: *sese pudere, fateatur, Diss. de Galla Placidia Aug. non quod suas ille partes minus bene egerit, — sed quod ipse praeclare ab illo inventa Bergeriano, i. e. declamatorum more itaq; calamistris inusserit, ut ejus, quod in histori-*

ca narratione naturale esse debet, nec vola nec vestigium supersit. De cuius judicij aequitate nemo facile dubitet, qui cum reliquis Viri scriptis, hasce Disputationes contulerit. Nam quae illorum praecipuum ornamentum faciunt, orationis cum puritate facilitas et elegantia; eae sic in his desiderantur, ut nisi aliunde constaret eas Ruhnkenium auctorem habere, facile quis hoc argumento abutri possit ad eas ipsi abducandas. Nunc eo ipso patet, quam fallax saepe sit judicium, quod ex orationis discrepantia ducatur. De Bergeriano autem scribendi genere nota sunt, quae optime judicavit Cl. Wyttensb. Vit. Ruhnken. p. 15.

Decursis Academiae spatiis, anno superioris seculi XLIV, aetatis XXI, Ruhnkenius, Hemsterhusii potissimum fama electus, in Bataviam proficiscitur, comite, ut scribit Wyttensbachius p. 19, *juvenile quodam nobile ac divite.* Juvenem hunc fuisse Nobiliss. Uffenbachium, ad cuius moderanda studia adhuc in Germania electus, cum eodem aliquanto post in hanc Academiam Lugduno-Batavam delatus sit Ruhnkenius, patet ex Ep. ad Ritter. I. p. 773. et magis etiam ex illa ad Wilpium p. 872. Jam quae ipsius in Bataviam adventum proxime sunt consecuta, breviter tantum pro instituti ratione a Wyttensbachio narrata, uberius referre lubet ex Ep. ad Ritt. I. p. 768 sq. Vix in Bataviam pervenerat, cum eum studiis fratris sui minoris praefecit Ge-

rar-

wardus Meermannus, is qui postea Syndici Rotterdamensis dignitate ornatus est, et ad quem, teste Wyttenbachio l. c. Ritteri literas commendatitias habebat Ruhnkenius. Cum Meermanno igitur juniori tres fere annos in hac Academia traduxit. Quam autem semel cum Gerardo Meermanno inierat amicitiae societatem, eam postea constanter coluit: quod multis constat indiciis; vid. p. 790, 796, 799, al. Et vero fuit Meermannus is, qui, proditis eruditionis haud vulgaris speciminibus, Ruhnkenio dignus esset et fautor et amicus.

Interea accedit ut quaereretur qui Nobiliss. Juvenis Sixii studiis praecesseret, praceptoris eligendi cura demandata Viro Doctiss. W. F. van der Wilp, Gymnasii Amstelodamensis Correctori (*). Adiutor Ruhnkenius: hic amicorum magis desiderio, quam sua ipse voluntate, datis ad Wilpium literis, modeste provinciam pettit. Fuit hoc exeunte anno 1745. Literas, a Cl. Mahnio nobiscum communicatas, retulimus p. 871 sqq. res ipsa quem habuerit eventum, deficientibus idoneis indiciis, ignoramus.

Triennio prope sic transacto, Ruhnkenium in contubernium suum adscivit vir praestantissimus, Jac.

(*) Pater fuit nobilissimae Poëtriae Batavae Sarae Mariae van der Wilp, teste eruditissimo Hieronymo de Vries in Diss. de Poëtis Belgici Seculi XVIII. Operum Societatis Literarum et Poëseos Batavae Vol. IV. p. 270.

Jac. Phil. D'Orvillius: in quo, cum illas ad Rit-
rum literas dabat, dedit autem eas sub finem mensis
Julii a. 1747. adhuc degebat. Sed inde non ita
multo post eum abstraxit auctoritas celsissimae di-
gnitatis Viri, proposita certissima Professionis ob-
tinendae spe. Hunc ergo patronum sibi eligendum
ratus, rursus, cum Viri Illustrissimi filio, Amstelo-
dam Leidam commigravit; ejusque commigrationis
causam ipse explicavit Rittero suo Ep. II. p. 780.
et IV. p. 784 et 788; quum de ejus a D'Orvillii
latere secessione constet ex literis ad hunc datis
d. 21. Aug. 1747. editis infra p. 801. Quis autem
magnifica illius promissionis fuerit exitus, nobis
non liquet. Sed hoc liquet, ex multis Epp. ad
D'Orvillium locis, eum Leidae majore studiorum
opportunitate, quam lauta rei familiaris conditione
usum esse. Vid. p. 802, 809 et 801. Quae ta-
men res non impedivit, quominus, spreta hominum
Amplissimorum voluntate, Leidae ulterius commo-
rare constitueret, malens parce ac tenuiter vivere,
quam hominibus, opulentis illis quidem sed àmuσtois
operam suam addicere: quae sunt ipsa Ruhnkenii
verba in Ep. ad eundem V. Cl. data ejusdem anni
mense Octobri, p. 866, cf. p. 865. Ceterum, patet
ex literis ad Ritterum et Ernestum datis, eum an-
no sequenti 1748. studia moderatum esse Nobiliss.
Juvenis Nicolai de Dierquens; quocum, valetudine
minus prospera utente, ad aviam ejus, matronam

illustrissimam, Harleum secedendum fuerit. Vid. p. 794 et 821. et cf. Bernardi Ep. ad Reiskium p. 322. Nam de ipsius cum Gente Fagelia necessitudine, cuius initium ortum est tunc, cum ipsi Franciscus Fagelius in disciplinam tradebatur, notiora res est ex Dedicacione Rutilii Lupi et Velleji Paterculi editionibus praemissa, quam ut de ea peculiariter dicamus.

Verum age, missis jam privatis Ruhnkenii negotiis, de rebus ad studia ejus pertinentibus accuratius videamus. Quae fuerit eorum in Academia Witebergensi ratio, exposuit Wyttenbachius p. 14 sqq. Quam igitur illic viam tenuerat, ut, delibatis amoenioribus Philosophiae et Literarum locis, elegantiori Jurisprudentiae praecipuam, duce Rittero, operam navaret; eandem in Academia Lugduno-Batava sibi persequendam duxit: ita quidem, ut Graecis literis, quibus ad Latinas percipiendas sibi in primis opus esse sentiebat, totum sese traderet, et, suadente Hemsterhusio, cum utriusque Linguae studio Juris disciplinam conjungeret. Obtigerunt autem ei duces, praeter Hemsterhusium et Albertum in Graecis, in Jure Civili Gerlacus Scheltinga, Schultingii discipulus, in Historia et Antiquitate Franciscus Oudendorpius. Quibus quidem praceptoribus gloriari solebat. Vid. Ep. ad Ritter. I. p. 768. ad Wilpium p. 873. alibi. Jam quid in utroque studiorum genere effecerit, breviter videamus.
Igitur, haud ita diu in hac Academia commoratus

tus, emendandum et illustrandum sibi sumsit *Constantinum Harmenopulum*, scriptorem seculi XIV, cuius exstat Graece scriptum *πρόχειρον νόμων*, i.e. *Promtuarium Juris Romani*, invitatus ad id cum MSS. quae Biblioth. publica asservat copia, tum Hemsterhusii voluntate, eoque consilio ut tandem aliquod Ritteri disciplina dignum proderet specimen. Qua de re, exeunte anno 1745, scripsit ad Wilpium p. 873, et postea ad Ritterum p. 769. Et huc fortasse pertinet locus Ep. VII. ad D'Orvill. p. 810. Ad hoc vero opus rite perpoliendum pluribus indigebat subsidiis: quorum subinde mentionem fecit. In his fuit Harmenopuli exemplar cum annot. MSS. Antonii Contii, quod, ut scribit Rittero Ep. IV. p. 785, per Valckenae-
rium ad illum pervenit; cui propterea gratias egit li-
teris ad eum datis d. 28. Febr. 1748. quae ut ali-
quando publici juris fiant, speramus. In his fuerunt
alia, de quibus vid. Ep. ad Ritterum II. p. 774, 775.
IV. p. 784 et 785. VII. 794. Unum constanter de-
sideravit, sibique deesse doluit, Harmenopulum Cu-
jacianum, cui palmariae principis JCtorum emenda-
tiones essent adscriptae, quique in Biblioth. Lip-
siensi servari diceretur. Saepius ea de re cum Ritte-
ro et Ernesto egit, idque adhuc exeunte anno 1749.
Vid. Ep. III. p. 782. VII. p. 794. VIII. p. 799.
IX. p. 864. At frustra: cuius rei quae causa
fuisse videatur, docuit ad locum ex Ep. VIII. Cl.
Hugo. Sic factum, ut, retardato impetu, mox ad
alia traductus, tandem consilium abjiceret Ruhn-

ke-

kenius. Plura petantur a Lennepio Praef. ad Co-
luthum p. xii. et Meermanno Diarii Eruditorum
mensis Febr. 1770. p. 563. quos eam in rem lau-
davit Kidd in Praef. p. xxiv.

Diximus, eum ad alia fuisse traductum. Nam
postquam, in Graecis poëtis diligenter versatus, men-
se Octobri a. 1747. Specimen Emendationum in
Callimachum D'Orvillio obtulerat (vid. Ep. VI.
ad D'Orv. p. 808.); mox invitatus, ac fere coa-
ctus a Viris eximiis, Valckenaerio, Alberto et Hem-
sterhusio, quae in Graecis poëtis conjectura sana-
verat colligere et publici juris facere, ad hoc ani-
mum applicuit, ut eodem anni sequentis, 1748,
mense scribit Rittero Ep. VII. p. 795. et simul
Specimen memorat Emendationum Callimachearum
iisdem diebus ad Ernestum missum: quod speci-
men continetur Ep. I. ad hunc V. Cl. data, quam
retulimus p. 813 — 821. idque Ernesto valde pro-
batum fuisse, laetatur Ep. VIII. p. 799. Triplex
autem, ut aliquando Lennepio significavit, Epistolae
Criticae scribendae consilium ceperat: quarum il-
lam de Callimacho, Ernesto inscriberet; alteram
de Hymnis Homericis, Valckenaerio; tertiam de
Orpheo, Hemsterhusio. Vid. Fragm. ad Lennep.
p. 876. Sed ab hoc eum proposito mox avertit
amicorum voluntas, quibus quum Callimacheus li-
bellus nimis videretur brevis, adjunxit ei conjectu-
ras in Apollonium Rhodium et Orpheum, quas
ter-

tertio libello reservaverat. Vid. Ep. ad Ern. II. p. 821 sqq. Sic prodiit sub finem anni 1751 *Epistola Critica* II, absolutamque Ernesto misit Ruhnkenius, exente mense Januario anni proximi, una cum literis, quas retulimus p. 824 sqq. Interea jam ante biennium prodierat *Epist. Crit.* I. in *Homeridarum Hymnos et Hesiodum*, a 1749; de qua paucis refert Ep. ad Ritter. IX. p. 863. Misit autem eam ad Valckenaerium, una cum literis datis ejusd. anni d. 6. Oct. quas editurus est Cl. Mahnius. Utriusque *Epist.* paulo post censura, teste Saxio l. c. p. 69, prodiit in Nov. Act. Erudit. 1750. Aug. p. 469—476. et 1752. Oct. p. 618—623. id quod voluerat Ruhnkenius. Quod vero apud Ritterum (p. 798.) et Ernestum (p. 815.) gloriatur, se, nisi verba ipsi dent Valckenaerius et Hemsterhusius, in hoc genere prope Bentlejanum quid praestitisse, ne quis in deteriorem partem accipiat, et cum reliqua Viri modestia pugnare censeat; aliter scribitur ad amicum, aliter ad hominem parum cognitum: ac fuit illa modestia conjuncta cum virium suarum conscientia, ut nec quod deesset, sibi arrogaret, nec quod superesset derogaret: quae sunt ipsius Wyttens. verba Vit. Ruhn. p. 246.

Sequitur *Praefatio ad Thalelaei, Theodori, aliorumque Commentarios*. Quos commentarios dudum antea a. 1747. in Biblioteca Leidensi detectos, mox ad editionem instruxerat Ruhnkenius, ut scri-

bit

bit Rittero Ep. II. p. 776. eorumdemque alibi mentionit Ep. IV. p. 786. Jam vero, editis Epistolis Criticis, intermissum Jurisprudentiae studium repetens, anno proximo progressum specimen prodidit, *Thaleldaei, Theodori, Stephani, Cyrilli Commentarios Graecos in Titulum Codicis et Digestorum de Postulando, sive de Advocatis et Procuratoribus*, Latina interpretatione et doctis animadversionibus illustratos, teste Cl. Wyttenb. p. 47. Hujus speciminis Praefationem, exemplo Editoris Angli, repetivimus. Ipsum specimen quominus repeteremus, effecit operis cum magnitudo, quippe quod ultra centum paginas formae maxima excurrit, tum argumentum a reliquorum argumento opuscularum abhorrens: tum etiam inseruit illud Meermannus Thesauri Juris Civilis T. III, Hagae Com. 1752. idemque in Basilici Fabrotiani supplemento denuo prodiit, L. Bat. 1765. Ergo minime verendum, ne quando in oblivionem cadat: sed quamdui sua Jurisprudentiae laus constabit, tamdui in ea celebrabitur Ruhnkenii nomen.

Solebat porro, Hemisterhusii magistri exemplo, haud exiguum operam dare cognoscendis doctae antiquitatis reliquiis. Ejus rei, praeter alia, documento sunt quae exente anno 1753. scripsit Ernesto Ep. V. p. 837, coepisse se aliquid commentari in Marmora vetera, quod inserendum esset Memoriis Academiae Inscriptionum et Elegantiorum

Literarum Parisinae, cui ante aliquod tempus so-
cius fuisset adscriptus. Id cujusmodi sit, quamvis
diligenter quaerendo, indagare nondum potuimus:
quamobrem doctos viros h̄ic publice rogatos ve-
lim, ut, si quid ipsis innotuerit, ea de re certiores
nos faciant. Ceterum, ut alia multa ad suam lau-
dem pertinentia, sic etiam hanc cum erudita illa
Societate Parisina necessitudinem, silentio praeter-
iisse videtur Ruhnkenius: nam in Vita quidem ip-
sius p. 61. nihil hac de re legitur. Sed Reiskio
narravit Bernardus in literis p. 473.

Proximae sunt *Praefatio et Dedicatio* ex ed.
priore a. 1754. *Timaei Lexici Platonici*, cuius antea
nondum editi apographum debuit eidem, cui editio-
nem inscripsit, Viro Doctiss. Henrico Gally. Sed
de hujus libri consilio, ratione ac praestantia, quae
dici possent, omnia exhausit Cl. Wyttrenbachius p.
48 — 61. et postea commodior dicendi locus recur-
ret. Obiter ejus mentionem fecit Piersonus Praef.
ad Moer. p. xxix. Vid. et Nov. Act. Erudit. 1755.
Sept. P. II. p. 534 — 538. laudata Saxio l. c. p. 69.

Eodem a. 1754. iter in Galliam suscepit Ruhn-
kenius, et integrum annum transegit Lutetiae,
e qua urbe anni proximi mense Februario lectu-
dinas ad Ernestum dedit Literas, editas infra p.
838 sqq. ne iterum Wyttrenbachium laudemus, p.
65 — 71. Inde redux ingentem secum attulit inedi-
torum vim: in quibus praecipuo loco erant, *Lexi-*

con Rheticum Ms. de quo retulit in Praef. ad Hesych. infra p. 194. et Grammaticus, qui *Antiphonistae* nomine laudari solet, de quo agitur in Hist. Crit. Or. Gr. p. 155. et in Diss. de Antiphonte p. 372; et cuius adeo edendi consilium ipsi fuisse videtur: vid. l. c. p. 180. et Valcken. ad Eurip. Phoen. v. 28. ne de *Cyrilli, Eudemi et Photii Lexicis* MSS. Orionis Thebani Etymologico, aliisque dicamus. Omnino multum eo tempore Grammaticis tribuit, in his *Phrynicis*, in cuius expoliendo praeclaro opere ΣοΦιστικὴ προπαρασκευὴ sese versari, jam antea significaverat, cum privatim Ernesto in literis p. 837 et 842, tum publice in Timaei ed. pr. p. 13 et 31. Quid quod a. 1759. scripsit Doctiss. Piersonus Praef. ad Moer. p. XL. *elegantissimum Ruhnkenium novam Phrynicis*, cum aliis grammaticis, editionem parare. Quibus similia leguntur in ann. ad Moer. p. 199, et in Bernardi literis ad Reiskium p. 406. Sed postea proposito destitit Ruhnkenius, qui in altera Timaei ed. nullam amplius ejus mentionem fecerit, et auctor Phrynicis expoliendi extiterit discipulo Doctiss. H. Hanae, teste Wyttenbachio p. 199. Est autem incredibile dictu, quantam segetem glossarum ineditarum, cum aliis in scriptis suis, in primis autem in nova Timaei editione, in lucem ipse protulerit; tum amicis aliquique viris eruditis larga manu suppeditaverit: quas, variis ex libris collectas,

**

et

et literarum ordine digestas, ad suum quasque auctorem retulit insignis Editoris Angli diligentia, Praef. p. ix — xxii. Unde, quantum emolumenti ex hac Ruhnkenii opera in Graecas Literas redundaverit, manifesto liquet. Quo magis autem dolemus, multa cum inchoata reliquise, eo magis laetamur aetatis nostrae felicitate, qua plerosque illos Grammaticos in publicam notitiam protulit Bekkerus in Anecdotis Graecis.

Provinciam Lectoris Graecarum Literarum, mense Februario a. 1757, ut patet ex Ep. ad Ern. IX. p. 846, ipsi delatam, ejusdem anni mense Majo, non Octobre, ut minus recte dicitur in Vita Ruhn. p. 73. auspicatus est *Oratione de Graecia, Artium et Doctrinarum Inventrice*. Haec primam post longum tempus e cathedra auditorii Lugduno-Batavi vere orationem, id est, quae et Latinitatis et eloquentiae officio satisfaceret, tunc habitam esse, et, haud dubie omnium hac laude dignarum, ante habitarum principem exstitisse, vere judicat Wytenbachius p. 74.

Quae hanc excipit *Oratio de Doctore Umbratico*, eam post quadriennium habuit, a. 1761, Oudendorpio succedens in Ordinaria Historiae et Eloquentiae Professione. Doctorem Umbraticum quem intellexerit, et quomodo sit in eo argumento tractando versatus, Wytenbachius ostendit Vit. Ruhn. p. 90 sq. et Philom. L. I. p. 10 — 15. ex ejus-

que

que sententia disertius explicuit Cl. Mahnius in Epist. Sodalium Philomathiae p. 18 sq. idque probante illo in hujus libri censura Philom. L. III. p. 186 et 189. Ruhnkenius enim, tempori magis, quam veritati, obsecutus, non sui ordinis homines, Professores Academicos, sed minores doctores et Rectores Scholasticos significavit; ex iisque unum in primis voluit, Augustinum scilicet Staverenum, Gymnasii Leidensis tunc temporis Rectorem; quem cum ipsi et Heusingero, edendi Nepotis causâ, aliquid simultatis intercedebat: unde factum, ut hac oratione non parum sibi invidiae contraheret. Illam autem Doctoris Umbratichi appellationem, quam a Petronio stimsit, minus recte et contra veterum usum, in deteriorem partem accipi, Wyttenbachii vestigia secutus, docuit Cl. Mahnius l. c. p. 18, 19, 237 sq. cuius juvat ipsa verba referre: *Omnino*, inquit p. 238, *quod Ruhnkenius a Musgrave dictum alicubi refert*, in Ernesti Initii Doctrinae Solidioris omnia esse Latina excepto titulo; *quod solidus* sic minus recte dicatur: *idem quis de hac illius oratione dicat, ita quidem ut non solum in titulo, sed in ipso ejus contextu quaedam relieta sint minus Latina: quae progressu aetatis, ut fit, rectius didicit, et correcturus erat, si novam ejus editionem fecisset: quam ut Elogio Hemberghii impertivit, sic non item huic orationi destinaverat, multis jam partibus aliter sentiens,*

et veterem ejus invidiam renovare nolens; Valckenario praesertim aliisque collegis, quorum iudicio multum tribuebat, haud paucos illius opusculi locos improbantibus. Quae autem sint illa minus Latina, vellem in tironum gratiam exemplis aliquot ostendisset Vir eruditissimus.

Missa Callimachi editione Ernestina, de qua alio dicemus loco, similem operam Wesselingio praestit Herodotum a. 1763. et Gesnero Orpheum a. 1764. edenti: illi quidem non tantum comparandis codicum Parisiensium lectionibus, sed et paucis insuper excerptis ineditis, quae in Addendis leguntur ad p. 182, 37; 377, 52; 788, 1. Huic autem, collatione Codicum Paris. quae exstat ibi p. 205—216. plura daturus, si voluisset Gesnerus, siquidem ipse multum Orpheo operaे tribuens, ejus edendi aliquando consilium inierat, teste Bernardo in literis a. 1750. ad Reiskium datis p. 408. Reliqua petantur a Wyttenbachio p. 83 sq. et 85.

Prodiit anno 1765. *Dissertatio de Antiphonte Oratore Attico*, quam, Praeside D. Ruhnkenio, defendit doctus juvenis Petrus van Spaan, qui quamvis in libelli titulo auctoris nomine celebretur, sequitur in Exordio auctorem profiteatur; tot ramen et tam insignes, ipso fatente Spanio p. 143, 150 sq. 155, 166, 172, 174, 178 sq. in ea fuerunt Ruhnkenii partes, ut huic verius, quam illi, tribuenda videatur: quemadmodum recte judicavit

Reis-

Reiskius, qui illam octo post annis repetiit, Orat. Graecorum Vol. VII. p. 795—830. et constat Wyttēbachii auctoritate Vit. Ruhn. p. 146 et 250. conf. Biblioth. Crit. P. XII. p. 113.

Insigne Longini fragmentum ex *Arte Rhetorica*, quae dudum deperdita habebatur, quod rara felicitate detectum, Ruhnkenius porro cum scriptis Codd. contulerat et emendaverat, teste Wyttēbachio p. 128, ad editionem fere paratum reliquit moriens. Quo magis Literarum causa optamus, ut brevi hoc opus in lucem prodeat cura Celeberrimi Bakii, qui inde ab aliquo tempore in eo ulterius expoliendo versatur.

Paulo plura dicenda habemus de simili invento apud Photium in *Agatharchide*, de quo quum nondum satis judicare posset Wyttēbachius Vit. Ruhn. l. c. postea, quid illud esset, comperit ex Ruhnkenii Literis ad Valckenarium, quas sibi in manus incidisse narrat in Laudatione Wassenaerii, Philom. L. III. p. 18. Literas illas, e quibus certior ejus rei notitia petatur, dum a Cl. Mahnio exspectamus; illud saltē animadvertisimus, significari videri venustum Stratoclis oratoris fragmentum, de quo annotavit Ruhnkenius ad Rutil. Lupum p. 33 et 26, quae loca retulimus horum Opusc. p. 364 et 381.

Sequuntur Praefatio ad Hesychii Lexicon, et Diatribe de festis Dionysiorum diebus apud Athē-

nienses, desuntae ex Hesychii Albertini Vol. II. quod, mortuo Alberto, absolvit Ruhnkenius. Impeditum et obscurum utriusque argumentum feliciter expedivit et illustravit Viri sagacitas. Atque utraque disputatione illustre exhibuit specimen criticae facultatis illius, quae non solum in emendando, sed et interpretando ac dissenserendo cernitur, et propositam caussam ex argumentorum latebris et involucris per ancipites ac difficillimos dubitatum anfractus ad liquidum planumque dedit. Quae verba sunt Cl. Wyttensbachii, Vit. Ruhnki. p. 130, quum de alterius disputationis de Dionysiis praestantia fusius egerit, ejusdemque summam breviter retulerit, in censura libelli Odericiani de Morea Didasc, Bibl. Crit. P. VII. p. 51 sqq. 67 sq. Quo minus dubitamus assentiri Editori Anglo, Praef. p. xxvi, de eadem verissime judicanti, si nihil aliud reliquisset Ruhnkenius, qualis ille quantumque fuerit, ex hac disceptatione prorsus clare. Singularis item laudanda est ejusdem diligentia, qua glossarum, Ruhnkenii opera Hesychio restitutarum, indices confecit; ibid. p. xxix sq. et xxxi sq. nam quae praeterea ab eo sunt animadversa, ad suum quaque locum retulimus. In expediendis autem Hesychii glossis barbaris ipsi et Alberto profuisse Ritteri auxilium, colligitur ex Epp. p. 783, 788, 791, 796. Ceterum, praeterquam in Nov. Actis Erudit. 1769. Aug. p.

337 — 356. Saxio I. c. p. 70. laudatis, alterius
Vol. Hesychii Albertini haud improbabilis censura
legitur in Diario Gallico, Biblioth. Scientiarum et
bonarum Artium, T. XXIV. P. II. p. 327 — 342.

De Correctionibus Interpretationis Gallicae Dia-
logi Platonis de République satis suo loco diximus.
Scripseritne eas Ruhnenus Gallico, an Latino ser-
mone, dubitari potest: et erunt fortasse, qui eas
hic Latine, quam Gallice, legere malint. At vero
nos in librum Gallicum Gallicas servare maluimus
animadversiones; praesertim cum et eleganter scri-
ptae essent, et ne Latinae quidem interpretationis
ope Gallica vocabula ad unum omnia ejici possent.

Quod sequitur, celebratum illud Tib. Hemster-
husii *Elogium*, in laudem Viri praestantissimi pu-
blice habuit mense Februario anni 1768, Magi-
stratus Academici solemniter depohendi causâ: qua
de re conf. J. G. Te Wateri, V. Cl. Narratio de
rebus Academiae Lugduno Batavae Seculo XVIII.
p. 45 et 225. Quod autem *Elogium* inscrispsit, voce
eo quidem sensu non satis Latina, nec potius ex
more et usu Veterum *Laudationem*; fecit ex recen-
tiorum consuetudine, cui aliquid dandum fuisse
ipse in Praef. fatetur. De Orationis praestantia et
virtutibus, facere non possumus, quin ipsam ad-
scribam Wyttbachii sententiam, ex Vit. Ruhn.
p. 141 sq. Atque hoc, inquit, est illud Hemster-
husii *Elogium*, quo nil in omni elegantis doctrinae

et eloquentia^e genere recentior aetas perfectius ab-
soluiusque vidi. Nam quum perfectam Critici
formam in Hemsterhusio spectandam sibi propo-
suisset, ita ejus ingenium, doctrinam, animum,
mores, explicuit, ita Criticae vim praestantiam-
que declaravit, ita nativa illa ipsique propria
Latinae orationis castitate ac venustate rem ar-
gumentumque illustravit; ut, quum dubitemus,
plusne sit in ea scriptioⁿe, suavitatis, leporis,
pulcritudinis, nitoris, an prudentiae, gravitatis,
dignitatis, majestatis, jucundiorne sit leciu^m an
fructuosior exemplo et institutione, illud non dubi-
temus affirmare, vere aureolum esse libellum, in
quo formando et Musae omnes et Gratiae conspi-
rasse videantur. Quibuscum conjungantur aliae,
neque eae minus eximiae, laudes ibid. p. 28. Nil
mirum igitur, tantae praestantiae et utilitatis opus
postea pluribus locis temporibusque identidem
recusum esse. Primus illud repetit Harlesius in
Vitis Philologorum, Vol. IV. p. 214 — 266. et
hic quidem tanta incuria, ut in ipso Praefationis
initio dum pro cum ederet, pari stupiditate ac si
Latine loquens virum bonam dicas, aut foeminam
bonum: quod quam aegre tulerit Ruhnkenius, si-
gnificat Wyttenbachius p. 178, Tum eundem li-
bellum Celeb. Scheidius adjecit Opusculis de Ra-
tione Studii, P. I. p. 171 — 210. Tertius, a. 1789,
sui ipse libri novam fecit editionem Ruhnkenius,

neque eam prioris tantum repetitionem, sed multis partibus castigatiorem; de quo rursus juvat Wytttenbachium audire: *Elogium*, inquit l. c. p. 200, *Hemsterhusianum castigatius prodiit, compluribus locis ad proprietatem, perspicuitatem, efficaciamque dictionis reformatis: quod vix fieri potuisse videtur in libro, qui jam e prima editione tam cultus politusque exisset. Sed nimurum triginta annorum intervallum et orationis scientiam auxerat, et limam acuerat.* Plura petantur ex ejusdem censura, prodita Biblioth Crit. P. X. p. 117—128. Hanc porro alteram editionem denuo represeſtārunt Luchtmanni in Opusculis Ruhnkenii a. 1807. Eamdemque Germani transtulerunt in *Vitas Duumvirorum Tib. Hemsterhusii et Dav. Ruhnkenii*, Lips. 1801. quilibet nuperrime repetius est ibidem, 1822. cum Praefatione et Annotatione Frid. Lindemann. In hac autem postrema editione leguntur primum RUHNKENII *Elogium Hemsterhusii*, et WYTTEBACHII *Vita Ruhnkenii*. Quibus palmarioribus, quasi quidam eloquentiae scilicet eruditionis cumulus, accedit CRASSI *Elogium Meermannii*: quod, quamvis per se laudabile, tamen, praeter *Elogii* titulum, nihil cum illis commune habet. Neque enim, quamvis haud vulgaris ingenii et doctrinae Vir, aut Meermannus sis fuit, cui cum Hemsterhusiis et Ruhnkeniis de eruditio-
nis palma contuleret: aut ea Crassi facundia,

quae cum exquisito Ruhnkenii et Wytttenbachii scribendi genere ullo modo compararetur? Annotations autem Editoris maximam partem eae sunt, e quibus appareat, Latinitatis Ruhnkeniana et Wytttenbachiana censem eum agere voluisse, ipsum ab illorum duumvirorum eloquentia longissimo intervallo distantem. Talia vero animadvertere etiam semiodicti possunt: sed qui in tantorum Virorum scriptis quaerere velit, is certo eadem ad illos facultatis proportione esse debet, quam ad Muretum ipse fuit Ruhnkenius; iudice Viro, harum rerum peritissimo, Mahnio in Epicrisi Biblioth. Crit. p. 48. Quamquam, ut verum fateamur, in illis Lindemann animadversionibus subinde nonnulla bonae frugis reperiuntur.

Superest, ut qua ratione nos in Elogio Hemsterh. septima vice repetendo usi simus, declaremus. Igitur quum ex totius libelli editionibus duas tantum auctoritatem haberent, quippe ab ipsa Scriptoris manu profectae, altera a. 1768. altera a. 1789. ne utramque suo anno repetere cogeremur, in prioris locum alteram retulimus, illius huic subjecta varietate, quod, ut suo loco dictum est, Latinitatis causa fecimus. Nec veremur, ne quis ob eam rem nos molesti reprehensoris personam egisse dicat; quum nil aliud, quam vitia ab ipso Ruhnkenio olim animadversa et correcta, notaverimus; quae res quantam habeat tironibus Latinarum venerum studiosis uti-

litate, nemo ignorat. Ceterum facere non possumus, quin publice gratias agamus Viro eruditissimo, eidemque exquisitissimo Latinitatis existimatori, FR. A. BOSSIO; cuius et consilia et auxilia quantum non in hac tantum, sed etiam in aliis hujus operis partibus, nobis profuerint, dicere vix possumus.

Ejusdem anni 1768 sunt *Dedicatio* et *Praefatio* ex *Editione Rutilii Lupi*, una cum *Historia Critica Oratorum Graecorum*. Suscepta Historiarum et Eloquentiae professione, tres sibi Scriptores elegit Ruhkenius, quibus emendandis et illustrandis ingenii sui monumentum conderet, Rutilium Lupum, Vellejum Paternulum, Cornelium Nepotem. Vid. Vit. Rulin. p. 125. Sed quod ad hunc quidem attinet, res exitum non habuit: de Vellejo postea dicemus: nunc de Rutilio videamus. Hujus igitur Rhetoris Latini *de Figuris sententiarum* librum, e Graeco Gorgiae ductum, una cum *Aquitae Romani* et *Julii Rufiniani* de simili arguento libellis, docta Praefatione et annotatione ornavit Ruhkenius. Et quandoquidem Rutilii libellus, frequentia exemplorum e Graecis Oratoribus dictiorum insigne, ei subinde necessitatem imponebat de horum vita scriptisque latius disserendi; sic nata est *Historia illa Critica Oratorum Graecorum*, unicus in suo genere libellus, qui in tanta brevitate tantis excellat elegantiae pariter et eruditio-

tionis laudibus. Sed de ejus consilio et ratione non est quod, post Wyttbachii disputationem l. c. p. 142 — 148, verbum amplius addamus. Illud non praetermittendum, eandem postea, tanquam singulare operis sui ornamentum, repetuisse Reiskium Orat. Graec. Vol. VIII. p. 121 — 188, ad ditis eis ad Rutilium annotationibus, quarum argumentum cum illa esset conjunctum. Idem nos quoque fecimus: sed hoc interest, quod, quas Reiskius in fine deinceps posuerat, eas nos, Lectorum commodo, in ipsa Historia Critica ad suum quasque locum retulimus. Quod quoniam subinde sine levi nonnullorum verborum immutatione fieri non poterat, de eo suo loco universe monuimus: et, ne quisquam inde reprehendendi ansam capiat, aut censeat, nos in alieno opere nimiam nobis licentiam sumsisse, singularium mutationum in Addendis rationem reddere statuimus.

Praefationi et Historiae Criticae adjunximus *Lyconis Philosophi fragmentum*, ebrii descriptionem continens, ex eodem genere e quo hodieque ferruntur Theophrasti Notationes morum, una *cum annotatione* ei subjecta; illustre specimen cum libri Rutiliani, tum interpretationis Ruhnkenianae. Idemque valet de *Epigrammate Anthologiae Latinae*, quod, ut a Ruhnkenio integratati suaे restitutum est, suum sibi inter reliqua Opuscula locum postulabat.

Cet.

Ceterum, praeter Nov. Act. Erud. 1769. Jun. p. 246 — 254. a. Saxio laudata l. c. cf. Biblioth. Scient. et bon. Art. T. XXX. P. I. p. 140 — 155.

Attulit annus 1770 doctam *Dissertationem de Tute lis et Insignibus Navium Graecarum et Romanarum*, materia variis difficultatibus impedita et multorum doctorum hominum dissensione turbata, quam, Praeside *D. Ruhnkenio*, ad publicam disputationem proposuit *Joannes Enschedé*, *Harlemo-Batarus*. Ejus mentionem, in *Vita Ruhnkenii* omis-
sam, in sui ipse Operis censura supplevit Wyttens-
bachius Bibl. Crit. P. XII p. 113. Quod autem
Enschedeus more solito in fronte *auctor* dicitur;
id ne quis ex vulgari consuetudine interpretetur,
qua qui dissertationem defendendam suscipit, idem
ejus et auctor et scriptor doctissimus dici haber-
que solet, quamvis fortasse ne unum quidem ejus
locum aut ipse scripsert, aut scribere potue-
rit; quemadmodum de illa *de Longino* disputa-
tione infra videbimus: Enschedei plane contra-
ria fuit ratio. Hic enim, elegantis doctrinae
studiosus juvenis, illam disputationem, quamvis
Ruhnkenii auspicio et auxilio, tamen ipse scri-
psit; ita ut huic libelli proprietas et auctoritas
relinquenda sit: quod sese aliquando ex Ruhnke-
nlio audivisse, refert Wyttensb. l. c. p. 90. Idque
plane probavit Doctissimus Enschedeus, qui ean-
dem illam Dissertationem, antea tribus Capitibus ab-

solutam, post decem annorum intervallum, infinitis partibus correctam, mutatam, et auctam, in primis ea parte quā de Romanorum navibus agitur, et duplo majore Capitum numero constantem, suis ipse typis nitidissime recudendam curavit Harlema. 1780. forma octava. Quamobrem hujus posterioris editionis integra Scriptori suo laus relinquenda est: prioris vero laudem cum Ruhnkenio communicare non dubitavimus. Neque enim, si Ruhnkenio dedecori non fuit Enschedeum habuisse discipulum, Enschedeo dedecus videri debet eam conscripsisse Disputationem, quae, ut inter Ruhnkenii Opuscula referatur, et sit et habeatur digna.

Eodem et proxime sequenti anno progressuum specimina prodiderunt duo docti Juvenes, uterque Ruhnkenii copiis adjutus. Alter, *Medenbachius Wakkerus, Amoenitates Literarias*, a. 1770. editas, ipsi Carmine Latino dicavit, deque auxiliis sibi praestitis grato animo retulit p. 29, 35 et 40. cf. Vit. Ruhn. p. 160. Cum altero, *Koppiersio, Observations Philologicas* in lucem proferenti a. 1771. Ruhnkenius rariora quaedam Antiphonis, Comici, ex ineditis Bibliothecae Sangermanensis Lexicis, communicavit, inde a p. 5—24, passim interspersis suis sive emendationibus sive observationibus, p. 6, 7, 13: alia item Antiphanea ex Athenaei Epitome Ms. Biblioth. Reg. Paris. p. 58: denique

nonnullas conjecturas et animadversiones, de quibus laetatur Koppiersius p. 94, 135, 140 et 149.

Quae Enschedei Dissertationem excipiunt *Annotaciones in Xenophontis Memorabilia*, eximum interpretationis Grammaticae et Criticae documentum, in gratiam *Editionis quintae Ernestinae*, quae prodiit a. 1772, conscripsit Ruhnkenius, ipse in Xenophontis haud leviter versatus et pluribus Codd. subsidiis instructus, ut non uno constat indicio: cf. Ep. ad Ern. V. p. 837. VI. p. 839. VII. 842. VIII. p. 844. XIV. p. 858. Sed plura dicere supersedemus, post narrationem Wyttenbachii Vitae Ruhn. p. 155 sq. quam, temere a Tittmanno reprehensam, nuper defendit Philomathes L. III. p. 119 sqq.

Fragmenta Ruhnkenii, ex *Virgilii Heyniani*, ex edit. prima a. 1775, Vol. IV. ante nos collegerat et reliquis Opusculis adjunxerat Editoris Angli diligentia: nos, cum Heynianis iterum collata et subinde correcta, nostra fecimus. Est autem memoriam dignum, quod illo tempore scripsit idem Heynus in Add. ad Virg. Aen. IV. 240: *Ruhnkenium paratam habere dissertationem de antiquis Virgilii commentatoribus*. Quorsum pertinere quae leguntur in Koenii Praef. ad Gregor. p. ix. ad H. in Cer. v. 450. et Ep. Crit. II. p. 198, 204, 209, 216. censet Kidd Praef. p. LIX. Quid vero ejus rei sit, dicere non possumus: nam adhuc quidem nihil ejus

ge-

generis inter schedas Ruhnkenianas repertum est.

Dissertationem de *Longino*, quam Toupio, Longini editione occupato, mittere constituerat, tarditatis Toupiana pertaesus, ipse in lucem emisit Ruhnkenius a. 1776, suis auspiciis publice defensam a Petro quodam Schardam; qui quo jure in titulo *auctor* habeatur, inde facile est ad suspicendum. Nam in tota hac disputatione nec vola nec vestigium exstat, eam a Schardamo, sed Ruhnkenii auxilio, conscriptam esse; quod de aliis supra vidi-
mus: sed ubique apparet Ruhnkenii manus, ubi-
que Ruhnkenii ingenium, doctrina, scribendi ele-
gantia. Quo magis reprehendendus est Toupius, qui
eandem biennio post a. 1778. Longino suo pae-
fixit, sub nomine Schardami, ipse quamvis probe
intelligens, tam doctum et elaboratum opus non
nisi a veterano, eoque primario, Literatore, qua-
lis Ruhnkenius erat, proficisci potuisse. Dicitur
illuc quoque lecta in auditorio Literario; quod item
a nostrae Academiae consuetudine omnino abhor-
ret. Nos vero plane assentimur Wytenbachio, de
ejus disputationis et scriptore et laudibus verissi-
me judicanti, cum in ejusdem censura Bibl. Crit.
P. I. p. 116 — 131. et III. p. 33 sq. tum in Vita
Ruhnk. p. 168 — 170. Quid quod ipse eam sibi
tribuit Ruhnkenius in Narratione de Vita sua p.
900, aliarum ne mentione quidem facta? Sed non
sunt silentio praetereundae ejusdem in *Longinum*

Anim-

Animadversiones, quae dudum antea in Angliam missae, tandem Longino Touplano p. 132—152 adjectae prodierunt. Vid. Vit. Ruhnke, p. 168 et 172. Quae sit earum vis et praestantia, appareat tam ex peculiari mentione Bibl. Crit. P. III. p. 34, quam ex judicio de illis lato Vit. Ruhnke. p. 243: *Neque ullus eorum Scriptorum, quos aliqua editionis dote ornavit, Longino est sublimior, cum ipso argumenti nomine, tum ingenii, doctrinae, sensuumque sublimitate.* Neque ullus fuit Longini interpres, qui se ipse ulterius in ejus intelligentiam et abditas cogitationes insinuaret, ad ejusdem ingenii altitudinem extolleret, difficiles locos, doctrinae abundantia et acuminis solertia, explicaret: tum vero ejus vita enarranda scriptisque recensendis, totam aperiret ac legentibus spectandam exponeret viri divinitatem, ejusdemque communione et affectu animos eorum imbueret ac repleret. Itaque omnium intelligentium judicio, ex omnibus, qui fuerunt, Longini interpretibus, unus Ruhnkenius Longino simillimus, et alter ipse Longinus habitus est. Quod si quis eas hic praetermissas queratur; causa fuit, cum quod a Longini lectio haud facile divelli posse viderentur, quod secus erat in iis, quas diximus, ad Xenophontem; tum quod, una cum Disputatione, e Touplana in recentissimam Weiskianam editionem venerint; ita ut unicuique facilis ad eas aditus pateat.

Ruhn-

Ruhnkenii *Observationes in Hesiodum*, curante C. F. Loesnero, Lipsiae a. 1778. editum, commemorat Cl. Saxius Onom. Liter. P. VIII. p. 72. Leguntur illae, una cum paucis aliorum animadversionibus, inde a p. 457 — 468. at nihil novi continent, quippe repetitae ex utriusque Ep. Criticæ editione priore. Cf. Loesneri Praef. p. 8.

Prodiit a. 1779 altera Frontini Oudendorpiani editio, curante Cornelio Oudendorpio, Francisci filio. Hujus haec sunt verba in Praesatione: *Ceterum non possum, quin publice gratum animum profitear Viro omni humaniorum literarum genere excultissimo DAVIDI RUHNKENIO, qui in adornanda hac editione consilio et re opem plurimam mihi praestitit.* Qua de re plura petantur a Wytenb. Vit. Ruhnk. p. 173. et Bibl. Crit. P. IV. p. 106 — 111, ubi censa est illa Frontini editio.

Frequens item Ruhnkenii mentio fit in Editione Propertii Burmanniana, quam curavit Laur. Santenius, a. 1780. Locis ab Editore Anglo in Praef. p. XLI laudatis addantur alia p. 8, 32, 90, 101, 153, 259, 717, 835. In his una est, eaque sane memoratu digna observatio de *Sylloge Ms. Proverbiorum* e Codice Meermanniano, quam, ut ad Propert. III. 5, 11. p. 535. docetur, propter insignem cum Erasmi Adagiis convenientiam, non a veteri quodam Grammatico, sed ab homine cen-

centiore ex Erasmo excerptam esse, merito judicabat Ruhnkenius. Elegans ejusdem emendatio placuit libri Censori, Bibl. Crit. P. VI. p. 14.

E Scriptoribus Latinis, quos, ut supra significavimus, sibi tractandos sumserat Ruhnkenius, alter est *Vellejus Paterculus*, *Historiae Romanae* scriptor, quem eodem anno 1779 tanta curâ expolitum et ornatum emisit, nulla ut adhuc ullius Scriptoris Latini editio tot tantisque dotibus commendata videatur. *Hoc opus*, inquit Wytttenbachius Vit. Ruhn. p. 174, non dubito *palmarium* appellare; quippe quo prioribus editoribus, in iisque ipsi *Latinarum Literarum principi*, *Justo Lipsio*, *palmam eripuit*. *Huic enim quum nec emendandi felicitate, nec Latinae orationis interiore scientia et apparatu, nec exquisitis omnis Antiquitatis et Historiae copiis cederet; in Graecis certe Literis, sine quibus Latinae sibi constare nequeunt, tantum praestitit, quantum mediocriter tincto perfectus*. Mittimus plura, cum ibidem, tum in censura libri Bibl. Crit. P. IV. p. 45 — 66. praecclare dicta. Ruhnkenitis tamen adeo non perfectionis laudem sibi vindicavit, ut etiam post tredecim annorum intervallum, novae editionis, ejusque castigatoris, consilium caperet, teste eodem Wytttenb. Vit. Ruhn. p. 205. Quo magis Lectoribus nostris gratam et acceptam fore putamus Praefationem tam egregio Operi praepositam.

Wytténbachio, ut hic ipse refert l. c. p. 178, Bibliothecam Criticam scribere instituenti a. 1777, primum dissuasor, deinde susor, atque adeo socius fuit consilii. Duas ei censuras tribuit Vir Celeberrimus alio loco, in Epist. ad Fonteinum Bibl. Crit. P. IX. p. vi. alteram *Commentarii de Palaestra Neapolitana ab Ignarra scripti*, quae exstat P. V. p. 77 sq. alteram *Poëmatis Orphici de Lapidibus, a Tyrwhitto editi*, ibid. P. VIII. p. 85 sqq. illam a. 1780, hanc a. 1783 proditam. Utramque, praeceunte Editore Anglo, reliquis adjecimus Opusculis. Ac vellem ei adjicere licuisset tertiam *Dissertationis de Babrio, auctore eodem Tyrwhitto*, ex B. Cr. P. II. p. 120. Nam quum se de Babrio alias dixisse alterius censoriae initio significet, fere suspicer hanc quoque postremam a Ruhnkenio scriptam esse, nisi duas tantum diserte commemorasset Wytténbachius. Ac fieri potest, ut ita scripserit ille, non adeo ex sua, quam e censoris, cuius tunc partes agebat, persona.

Homeri Hymnum in Cererem, et alterius hymni in Bacchum fragmentum, a C. F. Matthaei Moscuæ repertos, in eunte anno 1780. in lucem emiserat Ruhnkenius. Vid. Vita ejus p. 172 et 176. et Biblioth. Crit. P. III. p. 98 sq. Mox monitus a Matthæo, in exemplari scripto ad eum misso complures versus defuisse, abolita illa editione, bienio

nio post a. 1782 alteram prodidit justam suisque numeris absolutam, additis duabus *Epistolis Criticis*, post triginta annorum intervallum nova cura retractatis. De qua, qui cognoscere cupiat, praeter Vitam Ruhnck. p. 183 sq., adeat ejusdem censuram Bibl. Crit. P. VIII. p. 1—30. Medio autem inter utramque editionem anno prodierant Nic. Ignarrai Emendationes *Hymni Homerici in Cererem*, recens editi; praemissa ejusdem *Hymni notitia, judicio, aetatis divinatione*, Neapoli 1781. cuius libelli, Bibl. Crit. P. VIII. p. 135 sq. censi, priore parte germanam hymni auctoritatem et antiquitatem doctissimus Italus oppugnaverat. Hujus ergo, quamvis tacita Ruhnkenii voce jam satis confutati, rationes brevi post palam profligavit Wytenbachius Bibl. Crit. l. c. p 6—8. Cuius sententiam secutus est is, qui postea eundem Hymnum, cum Ruhnkenii et Ignarrai Animadversionibus, repetit Lipsiae 1787, *Mitscherlichius*, Praef. p. 20. propterea Harlesio laudatus ad Fabric. Bibl. Graec. T. I. p. 345. Denique alteram illam editionem anni 1782, additis Mitscherlichii Annotationibus, iterum recudendam curarunt Luchtmani Lugduni-Batavorum, a. 1808.

Sequitur ut singularum partium, quas ex tam docto libro in horum numerum Opusculorum retulimus, rationem reddamus. Prima *Praefatio* est,

insignis disputatione de Hymni antiquitate, auctoritate et praestantia; cuius summa refertur in censura laudata B. Cr. P. VIII. p. 3—8. Ejus autem, jam a. 1780. conscriptae, alteram partem a. 1782. adjectam, ab altera separavimus. Praefationem excipit *Fragmentum Hymni in Bacchum*, versuum duodecim, doctis animadversionibus illustratum. Ejusdem hymni novem versus servavit Diodorus Siculus, opportune in annot. exhibitos. Ex utraque parte, in recentissimis Homeri editionibus conjuncta, constat hodieque Hymnus XVI. Nos nunc fragmentum illud speciminis loco repetivimus, cum quod breve esset, tum quo facilius intelligeretur Ruhnkeniae interpretationis ratio. Misso igitur longiore in Cererem Hymno, sequitur *Epistolae Criticae I.* in *Homeridarum Hymnos et Hesiodum, ad Valkenaerium, Exordium*, eique mox subjectus *Epilogus*. Utramque Epistolam Criticam quominus integrum assumeremus, in causa fuit cum ipsarum magnitudo, quippe quae per se justae formae volumen efficiunt, tum vero hujus collectionis consilium, quod non nisi breviores scriptiones postulare videbatur. Sed ex palmariis illis Criticae facultatis monumentis, quaecunque singulari quadam doctrinae laude excellere, et a reliquis separari posse videbantur, ea, missis reliquis, delibavimus. Huc igitur primum Exordia et Epilogos retulimus, quae a reliquo

argumento sejuncta jucundam habent nec inutilem
lectionem. Tum ex eadem Ep. Cr. I. desumsimus
illam de *Hesiodo*, et alteram item de *Hesiodi Frag-
mentis* disputationem, quae quamvis brevis perfe-
ctam absolutamque habet Criticae scientiae laudem,
adeo ut in hoc fragmentorum colligendorum genere
fere nihil sit, quod emendandi felicitate, doctrinae
varietate, rationis delectu et elegantia, cum ea
comparari posse videatur. Sequuntur iterum *Exor-
dium* et *Epilogus Epistolae Crit. II. ad Ernestum*,
cujus praecipuum argumentum versatur in *Callimacho*
et *Apollonio Rhodio*. De illo in Exordio uni-
verse quaedam monentur. De hoc, ejusque *Argo-
nauticorum dupli olim editione*, brevem porro
particulam decerpsimus. Accedunt loci illustres
de *Varrone Atacino*, Latino poëta et Apollonii
interprete; de *Eumelo*, Corinthio, poëta histori-
co; de *Orpheo et Argonauticorum Orphicorum
antiquitate*; tandem de *Hermesianacte et Phano-
cle*, poëtis Elegiacis Graecis, cum de utriusque
vita scriptisque universe, tum de eorumdem dua-
bus Elegiis Athenaeo et Stobaeo servatis; quae
quum multum corruptelae indeque ortae obscuri-
tatis haberent, acutis et doctis animadversionibus
emendantur et illustrantur. Qui omnes loci tan-
tam habent, in summa brevitate, exquisitissimae
doctrinae laudem, et ita sunt a Wytttenbachio l. c.
p. 24 — 25, 29 sq. et Vit. Ruhnk. p. 184. in ex-

emplum scriptiorum ejus generis propositi, ut haud dubitemus, quin earum, quem nos delectum et usum nunc fecimus, omnes approbatū sint veteris doctrinæ et elegantiae studiosi.

Paene praeterieram nonnullas in hoc Hymni Homericī et Epistolarum Criticarum Volumen Toupii aliorumque annotatiūculas, quas commemoravit Editor Anglus Praef. p. XLI.

Jam ne peculiariter dicamus aut de insigni *Flos rilegii Stobaeani fragmento*, quod circa idem tempus Ruhnkenium retulisse, patet ex ejus Vita p. 185. aut de *Censura libri Tyrwhittiani* a. 1783. prodita in Biblioth. Criticā, de qua supra vidi-
mus: proximae sunt *Praefationes* duae, in alieni Operis gratiam conscriptae, altera ad *Cornelium Celsum*, scriptorem medicum, editione nova apud Luchtmannos Lugd. Bat. 1785 ornatum; de qua quae desiderabantur in Vita Ruhn. postea addita sunt Bibl. Crit. P. XII. p. 113: altera ad *Appuleji Metamorphoses*, ex recensione Franc. Oudendorpii, ibid. 1786, in quo opere, triginta post mortem Oudendorpii annis, in lucem proferendo quomodo versata sit Ruhnkenii diligentia, praeter brevem de hoc libro relationem Bibl. Crit. P. XI. p. 110—115, constat ex ejus Vita p. 192 sq.

Apollonii Sophistae Lexicon Homericum edidit a. 1788. Herm. Tollius, Vir Cl., Ruhnkenio potissimum auctore ad hoc opus impulsus, ut ipse fa-

etur Praef. p. i. Quam refert p. 742 ipsius conjecturam, in Scholio quodam Homericō Ms. pro ὁ δὲ αὖ Καλωνίτης restituentis ὁ δὲ Ἀσπαλωνίτης, eam auctoritate Codicis Harlejani confirmavit Anglus Editor Praef. p. xlIII. Meminit item Ruhnkenii p. 512 et 623.

Sequuntur *Dedicatio* et *Praefatio ex Timaei Lexici Platonici* editione altera. Atque hic accedimus ad eam laboris partem, in qua quum maximum vitae partem consumisset Ruhnkenius, tandem absolvere vetuit improba mors. Adeo verum est, quod ille dixit:

Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam,

Editis ante quadraginta fere annos duabus Epistolis Criticis, quarum materia ipsi fuerant Principes poëtae; novae sibi scriptioris argumentum eligerat principem prosae orationis, Philosophorum Deum Platonem: quod his ipsis fere verbis egitur in ejus Vita p. 48. Ejusque novi laboris tanquam specimen a. 1754. primus in lucem proulerat *Timaei Lexicon glossarum Platonicarum*, locis animadversionibus illustratum, de qua antea silo loco diximus. Jam vero inde ab edito Timaeo, magno doctrinae apparatu collecto, multo etiam magis ipsius Platonis edendi consilium cepit, eumque scriptorem de manibus nunquam depauerat, ut constat ex eodem Opere p. 60. Ad hoc

eum incitaverant, ante aliquot annos, fratres Fou-
lisii, Bibliopolae Glasovienses clarissimi, splen-
didissimam Platonis editionem parantes; qui quum
Leidam inviserent, hoc ei negotium dederant, ut va-
rias Codicum MSS. lectiones, et doctorum hominum
animadversiones, ex variis Europae locis, ipsorum
sumtibus conquereret: de quo scripsit a. 1751.
Ernesto Ep. II. p. 823. Simile postea, anno, ut vi-
detur, circiter 1760, fuit Edenburgensium institu-
tum, a quo se non alienum ostenderat Ruhnkenius,
teste Wyttbachio Vit. Ruhnk. p. 185 sq. Sed
ut hoc, sic etiam illud ad exitum non pervenit.
Adjuvabant porro consilium ejus in primis Scholias
veterum Grammaticorum in Platonem præ-
stantissima, ex omnibus fere Europae Bibliotecis,
magna cum cura, collecta: quae Scholia a
nemine adhuc edita, in unum corpus digerere et
commentariis illustrare constituerat. Quid proposi-
tum pluribus et locis et temporibus cum ipse de se,
tum de ipso alii significarunt. Veluti Clarissimi
Ernesto, eum ad Homerum ornandum vocanti, re-
spondit a. 1759: *Equidem certum et perpetuum, re-
spero, nominis mei domicilium in Platone habebo:
in quem et Scholiasten & eudoros et perpetuas anim-
adversiones separatim edam.* Vid. infra hujus libri
p. 857. Et cum aliis locis Scholiorum illorum præ-
stantiam laudavit, suumque eorum edendorum pro-
fessus est consilium; tum vero in altera Timaei ed-

tio-

tione quam plurima ex illis et luculentissima protulit specimina. Ne autem alios testes afferamus, Cl. Wyttēbachius in Annotatione ad Plutarchi librum de Sera Numinis Vindicta, anno 1772, sic scripsit p. 79: *Usus est eodem proverbio Euripides in Menalippe; ut Cel. RUHNKENIUS ad Platonis Scholiastem docebit. Quod egregium munus eo vehementius desideramus, quo magis et ipsi Platoni novam lucem affusam (lege affusum, operarum mendo depravatum) iri novimus, et a summo Viri Cel. ingenio et eruditione omnia praeclaræ exspectamus.* Ut nunc mittamus locum ex Vit. Ruhnki, p. 163 sq. Ad Platonem ipsum quod attinet, in eo ornando et edendo princeps sibi ac palmarium opus proponebat. Ac perfecisset, nisi quod Hemsterhusio in Luciano, Valckenaerio in Tragiceis, et nuper eheu Wyttēbachio quoque in Plutarcho edendo accidit, id ipsi quoque accidisset. Nam dum ad illam perfectionis summam, quam si bi ipse errore quodam opinionis finixerat, nunquam intermisso studio nitebatur, propositum in diem differens, intervenientibus deinceps aliis scriptiōibus, tandem penitus depositus, seque in arctius spatiū coartans constituit Platonicam materiam omnem tripartito libro complecti, cui *Platonica* nomen inscriberet: primam partem ficeret *Timaeum* cum animadversionibus auctis et emendatis; alteram *Scholia Platonica*, item animadversionibus illustrata;

ta; tertiam *Miscellanea Platonica*, quae omnem reliquam emendationum, observationum, variarum lectionum sylvam contineret. Quae quidem ex ipsius Vita p. 186 sq. fere ad verbum referenda putavimus. Ac de *Timaeo* quidem, quod constituerat, perfecit, eumque a. 1789. tertia parte ita auctum et correctum exhibuit, ut neserae quidem posteritatis judicium ipse reformidaret, et hoc *unicum a renatis literis exemplum operis perfecti et absolutissimi laudare non dubitarer idoneus*, si quis alias, judex Wyttensbachius, cum vivo adhuc Ruhnkenio in Praefatione ad *Plutarchum*, repetita Opuscul. Wyttensbachii Vol. II, p. 453. et Bibl. Crit. P. X. p. 108—110. ubi de hoc libro uberior refertur: tum post ejus obitum in Vita ipsius p. 200. Pau- cula in eumdem annotavit Kidd Praef. Ed. Angl. p. XLIII. (*) Ad *Scholiastem* quod attinet, cum iden-

(*) Haud supervacaneum erit hac occasione monuisse, alteram illam *Timaei* editionem, priore quamvis tertia parte auctiorem, eadem tamen hic illic breviorem esse, ita ut in illa subinde nonnulla desiderentur, quae in hac legantur, nonnulla etiam sic vel immutata vel in arctius contracta sint, ut plane alia videantur. Exempli gratia, si quis conferat Ed. I. p. 25 cum Ed. II. p. 36, annot. 51. in fine, deesse deprehender verba: *Multum differt — ὅπιασθεντων*. Conferantur porro p. 31 cum 43, n. 66. p. 32—44, n. 68. p. 38—52, n. 85. p. 39—54, n. 87 in f. p. 53—72, n. 9. p.

identidem in manus sumtum identidem depone-
re coactus est, impedientibus eum temporum tur-
bis, ingravescente senectute, tarditate ad scriben-
dum, aliis: de quibus omnibus legatur Wytttenba-
chius Vit. Ruhnk. p. 203 sqq. 204 sqq. 212 sqq.
Et tamen ne extrema quidem aetatis parte, fractis
morbo corporis viribus, et ingruente adeo summo
periculo, de Scholiaste suo Platonico desperabat, nec
prorsus abjiciebat consilium, teste eodem Wytttenb.
p. 276 et 278. At vero, in ipso commentandi initio
morte oppressus, opus inchoatum reliquit. *Scholia*
typis dudum descripta, Animadversionum non nisi
una pagina, conjunctim post ejus obitum a. 1800.
in lucem prodierunt apud Luchtmannos: quod
positum in Vita Ruhnk. p. 187. quomodo constet
eum iis, quae antea Bibl. Cr. P. X. p. 110. fuerant
scripta, contextum jam totum, *commentarium*
magnam partem typis expressum esse, equidem
non video. Illam autem Animadversionum paginam,
una cum Scholiis ad eum pertinentibus, nos, suo

lo-

p. 79—109, n. 33. p. 85—117, n. 42. p. 104—143, n.
8. (cf. p. 93.) p. 125—174, n. 4. p. 127—178, n. 3.
p. 137—190, n. 2. p. 143—198, n. 18 in f. p. 157—221,
n. 32 in f. p. 160—226, n. 41. Haec sufficient: nam non
dubitamus, quin plura etiam, quae nos fugerint, passim re-
periantur indicia. Tantum igitur abest, ut altera editione
prioris omnis usus sublatus sit, ut contra sua utrique editio-
ni constet laus ac pretium, et qui illa cum fructu uti velit,
idem ne hac quidem carere posse videatur.

loco praetermissam, in hujus voluminis Appendice denuo recudere operae pretium duximus; cum ut specimen proderemus Ruhnkenianae interpretationis, tum ut eo ipso intelligeretur, quantopere sit dolendum, palmarium opus a principe Viro perfici non potuisse. Quod superest, Scholiorum illa pars, quae Cod. Veneto continetur, paulo antea edita fuerat a Doctiss. Siebenkeesio (*), nonnihil illa quidem a Ruhnkenianis diversa; cuius diversitatis, diligent utriusque libri collatione facta, rationem reddidit Editor Anglus Praef. p. XLV — XLIX, unde, si velint, petant sibi Platonis studiosi. Eadem laudabili instituto adjecta sunt Platonis editioni, quae nuper prodiit Lipsiae apud Tauchnium, VIII. Voluminibus formae minoris. Ac speramus, fore ut aliquando, una cum laboris Ruhnkeniani reliquiis, et Cel. Bakii animadversionibus, meliore doctrinae apparatu, denuo in lucem prodeant: cuius spem fecit V. Cl. ad Cleomedis Cycl. Theor. p. 381. De tertia parte *Miscellaneis Platonicis* destinata, et adhuc per adversariorum libros dispersa, quid statuendum sit, patet ex ejus Vita p. 187. Ex hac autem Collationes Codicum MSS., a Ruhnkenio confectas, prodidit in Specimine Critico in Platonem, a. 1803, Cl. Heusdius, de cuius libro vid.

(*) In *Anecdoto Graecis e Codd. Italis descriptis*, Nürnbergae 1798. Vid. annet. ad Vit. Ruhn. p. 288.

P R A E F A T I O.

XLVII

vid. Bibl. Crit. P. XI. p. 64 sqq. et nonnullis
subinde usus est Wyttēbachius in Annotatione ad
Platonis Phaedonem, veluti p. 133. item Bakius l. c.

De altera *Elogii Hemsterhusiani* ejusdem a.
1789 editione supra vidimus: sed paucis dicendum
est de *Praefatione et brevi Annotatione addita Mu-*
reti Operibus, Ruhnkenii curā, conjunctim repe-
titis, eodem tempore. Eorum censuram egit Wyttē-
bachius Bibl. Crit. P. X. p. 111 — 117, e qua
de praestantia et libri et Editoris judicare licet.
Breviter item postea retulit in Vit. Ruhn. p. 201.
Ac de *Praefatione* quidem, quae versatur in con-
silio editionis exponendo et recensendis Mureti scri-
ptis, non est quod peculiariter dicamus. *Anno-*
tatio, praecipua libri dos, subinde quidem mate-
riam ac sententias attingit, saepius Latinitatem
animadvertisit. Etsi enim inde a renatis Literis vix
quisquam exstiterat, qui propius Mureto ad Cicero-
nis praestantiam accederet, paucos tamen aliunde
naevos sibi contraxerat ejus oratio: quos eo dili-
gentius notandos censuit Editor, quo magis reliqua
in exemplum purae et elegantis Latinitatis com-
mendanda sunt. Qua de re fusius agitur in Vit.
Ruhn. p. 228 sqq. (*). Similem operam Ruhnke-
nius

(*) Haud alienum ab hoc loco est monere, in Santenii
Annotationibus Prosodicis ad Muretum Opp. T. IV. p. xxx
sqq. esse item nonnulla Latinitatem spectantia: quae etsi non
ip-

nus postea navavit, *Lexico Schelleriano*, cuius item *Praefatio* habet insignem exquisitissimarum animadversionum copiam de quarumdam vocum Latinarum significationibus, quae essent a Lexicographis aut omissae, aut minus recte expositae, vel et in quibus prorsus a vero aberraverant. Quae omnia reliquias adjicienda fuisse opusculis, res ipsa loquitur. Hoc autem ita fecimus, ut Animadversionibus illis non continua deinceps serie positis, sed in unum conjunctis, et ad literarum ordinem digestis, quasi quaedam *Miscellanea Latinitatis* proderemus; e quibus, quantum in hoc quoque genere valuerit Ruhnkenius, perspicue intelligeretur. Hic illic nonnulla interspersa sunt e genere historico, critico, alia. Sed plura diximus initio illorum *Miscellaneorum*. Superest, ut, quae de labore Schelleriano inchoavimus, breviter absolvamus.

Quum igitur Lexicon probae Latinitatis, in usum juventutis, desideraretur, Honkoopii, Bibliopolae Leidenses, capto *Lexici Schelleriani* de Germanicis Belgice vertendi consilio, Ruhnkenium rogarunt, ut materiam libri suo judicio emendaret ac formaret. Quod opus, nisi eo indignum, certe intempestivum et aliis mandandum, cogitatione utilitatis inde in bonas Literas redundauit.

tu-

ipsius Ruhnkenii, tamen sunt ab eo probatae. Cf. Bibl. Crit. p. XI. p. 136.

turae, et suscepit, et perfecit. At prodiit demum post ejus obitum, qui accidit anno 1798. Quā de re pluribus refertur in Vit. Ruhn. p. 204—206. Quid ipse de hoc labore senserit et Wytenbachio scripsérit, legitur ibid. p. 265.

Tertium fuit opus, quod in primis expromendis exquisitis de Latinitate observationibus destinaverat Ruhnkenius, *Dicitata*, quae dicuntur; id est *Scholia in Terentium*; de quorum praestantia et utilitate judicare licet ex Vita ipsius p. 110. Haec, in privatum olim discipulorum usum scripta, post Viri obitum in lucem prolatā esse constat. Eorum tres ferruntur Editiones, Germaniae duae, tertia Anglicā. Ex his non nisi una ad nostrā pervenit notitiam, quā P. Terentii *Comoediis ad textum Codicis Hassensis editis Halae 1811.* II. Voll. 8. adjecit P. J. BRUNS, V. Cl. qui in Praef. p. xxvii sq. suspicatur, ea anno demum 1786, aut postea, conscripta esse, si quidem ad Eun. II. 1, 14. laudatur Appulejus Oudendorpii, qui prodiit illo anno. Quo argumento, si quid video, nihil levius est. Nam primum, quis credat Ruhnkenium, qui jām per se decim annorum intervallum Latinas Literas docuisse, tam sero de Terentio cogitasse? Tum, quid prohibet, quominus dudum antea scriptis adjecerit mentionem libri recens editi? Denique, scholas illas Terentianas Lugdunū veniens audivit Wytenbachius: hujus autem adventus cādit in annum

1770,

P R A E F A T I O.

1770, ut constat ex Vit. Ruhnk. p. 152. E quibus omnibus luce clarius est, dictata illa, diu ante annum 1770. scripta, sequentibus annis magis magisque expolita et novis identidem observationibus aucta esse. Quod autem ad edendi rationem attinet, summa et fide et diligentia in ea versatus esse videtur Brunsius; quamquam in exemplari, quo usus est, subinde nonnulla desiderabantur, ex aliis sive supplenda, sive emendanda; cuius generis exempla attulimus p. 754 et 757. in Miscellaneis Latinitatis; in quae pauca, speciminis loco, ex Dictatis illis referre, operae pretium duximus: plura etiam daturi, nisi liber omnibus et pateret et commendandus esset, qui quidem cum aliquo doctrinae fructu Terentianas fabulas legere cupiunt. Ceterum, quo major illorum praesertim est, eo facilius de reliquis Viri Scholis suspicari licet, cum Graecis et Latinis, in quibus quos Scriptores et qua ratione interpretatus fuerit, discimus ex ipsius Vita p. 74—78 et 109 sq. tum Historiae et Antiquitatis, de quibus quae ibid. p. 95 sqq. et 108. jucunde copioseque disputata sunt, nemo ignorat. Wyttrenbachius quidem iis, quae Ruhnkenius in scholis auditoribus tradere solebat, tantum pretium statuit, ut iis editionem aliquando destinaret. Vid. Bibl. Crit. P. XI. p. 177. Sed et hoc consilium irritum fecit optimi viri obitus.

Ul-

PRAEFATIO.

11

Ultimum inter Opuscula locum tenet *Inscriptio Sepulcralis Genis Dousae*, de qua quae dicenda erant, omnia suo loco diximus.

Pergimus igitur ad alteram hujus libri partem, quae Epistolis continetur. De quibus universe multa dicere, nihil attinet. Frequens cum hominibus literatis non solum in patria nostra, sed et extra eam in aliis Europae regionibus, literarum commercium Ruhnkenio fuisse, patet ex ejus *Vira* p. 232 sq. aliisque locis bene multis. Eartum colligendarum edendarumque consilium ante hos fere sedecim annos professus erat Wytténbachius, *Vir Cl. Bibl. Crit. P. XI. p. 156. et XII. p. 91* sq. Et posteriore quidem loco refert, sese earum jam fere octoginta in manibus habere: quibus postea accesserunt Ruhnkerii et Valckenarii mutuae Epistolae, quas a *Luzacio V. Cl.* sese accepisse scribit *Philom. L. III. p. 18* sq. Accesserunt aliae, de quibus, quamvis nondum publice constet, tamen sic accepimus, earum numerum insigniter auctum esse. Interea nonnullae seorsum in lucem prolatae fuerant: veluti illae ad Ritterum et Ernestum in Germania, ad *D'Orvillium* in Anglia; aliae aliis locis temporibusque. Sic factum ut edendis principis Viri literis materia hanc deesset, modo ne materiae, mortuo qui eam tintis omnium optime digerere potuisset *Wytténbachio*, deesset faber. Quibus de cassis,

* * * *

2

ho.

P R A E F A T I O.

horum Editores Opusculorum Luchtmanni, similem Epistolis operam navare cupientes, ea de re egerunt cum Cl. Wyttenbachii Viduâ, doctissima eademque humanissimâ foemina: a qua hoc responsi tulerunt, insignem illam Epistolarum Collectiōnem, quam sibi comparasset Wyttenbachius, esse hoc ipso tempore penes discipulorum Wyttenbachii optimum et magistri amantissimum, eundemque Virum praestantissimum, Literarum Humaniorum in Academia Gandavensi statorem et doctorem, GUILIELMUM LEONARDUM MAHNE; quem virum, ajebat illa, praeter Vitae Wyttenbachii scribendae officium, etiam hoc Epistolarum edendarum negotium in se suscepisse, eademque, quam sibi proposuisset Wyttenbachius, via ac ratione peracturum esse. Quibus auditis, gavisi Luchtmanni quod Epistolae illae tam docto editori obtigissent, protinus mutato consilio, cum ipso Mahnio, viro humanissimo, ita convenerunt, ut, quas Wyttenbachius collegerat, eas omnes hic sibi reservaret in posterum publica luce donandas: quae autem antea editae pluribus in libris dispersae jacerent, eas illi, in unum conjunctas, Opusculis subjicerent. Sic natus est hicce Epistolarum Fasciculus, cui insuper nonnulla accesserunt nunc primum edita. Sed jam de singulis seorsum videamus. Optamus autem, ut Cl. Mahnio tantum otii contingat, quanto ipsi opus erit ad duplex, quod sibi pro-

propositum, pensum brevi ac faustis auspiciis absolvendum.

Primo igitur loco occurunt *Ruhnkenii ad Jo. Dan. Ritterum*, Juris in Academia Wittebergen-si doctorem, Ruhnkenii et praceptorum et amicum, *Epistolae VIII*. Has primus in Germania ediderat Cl. HUGO in *Horreo Jurisprudentiae Civilis*, P. V. p. 341 sqq. (*) Quae sit earum praestantia, qui usus ad cognoscenda Ruhnkenii et domestica et literata negotia, iis omnibus, quae hoc usque disputavimus, satis superque demonstratum est.

Se-

(*) Sic enim interpretari liceat Germanicam libri inscriptionem, *Civilistisch Magazin*. Ac de priore quidem voce, cui quod aliud satis respondens Latinum vocabulum substitueremus solliciti, subjecimus tandem *Jurisprudentiae Civilis* notionem, speramus nos consilium editoris satis assentos esse, omnesque, quibus ea de re judicandi facultas est, nobis assentientes habituros. Quod autem alterum, *Magazin*, vertimus *horreum*, nec potius *magasenum*, *promtuarium*, aut alio simili vocabulo; fecimus imitatione Wyttenbachii, quem constat Diarium quoddam Belgicum, cui a materiae varietate et confusione *Magaseni* nomen esset inditum, Latine interpretatum esse *Horreum*, ejusque scriptorem vocasse *Horrearium*; cumque ei de vocis delectu a semidocero quodam negotium exhiberetur, hoc ipsum *horrei* vocabulum, pro sua Latinitatis peritia, sic vindicasse, nihil ut reprehensoribus, quod responderent, amplius relinquetur. Vid. Epp. *Sodal. Philom.* p. 2—6.

Sequuntur IX. *ad J. P. D'Orvillium*, Ruhnkenii, si quis alias, sautorem et patronum, *Epistolae*, quae in Anglia primum lucem viderunt, descriptae ex autographis, Oxonii asservatis in Bibliotheca Bodleiana; in quam constat migrasse praestantissimam librorum D'Orvillianorum partem. Vid. Praef. Ed. Engl. p. xxix. et Bibl. Crit. P. XI. p. 160—163. Easdem nuper in Germania repetit Friedemannus, Miscell. Crit. Vol. I. P. III. alias etiam pollicitus. Erunt fortasse qui eas a nobis praetermissas malint, utpote quae neque argumenti nomine valde commendari, neque cum reliqua Ruhnkenii indole animique magnitudine satis convenire videantur. Nos vero in iis agnoscimus eundem animi candorem, eandemque modestiam, quae in reliquis Viri factis scriptisque elucet; modestiam, dico, non fictam nec temporibus accommodatam, sed veram, ex intimo animi sensu profectam, et omnino talem, qualis decebat Ruhkenium, tunc temporis Juvenem Literarum peritissimum, erga D'Orvillium Virum Amplissimum et Veteranum Literatorem, eumque cui plurima, eaque maxima, commoda ac beneficia accepta referret, cujusque Musas sese non nisi aegre deserere fassus esset in Ep. ad Rit. II. p. 780.

Proximae sunt XV. *ad Jo. Aug. Ernestum Epistolae*. Ex his XIV. priores desumsimus e Collectiope *Epistolarum Ruhnkenii Valckenaerii aliorumque ad Ernestum*, quam ante aliquot annos

ex autographis edidit AUG. HENR. TITTMANN, *Lipsiae* 1812. Sed de hoc libro, ejusque Praefatione, in patriae nostrae Literatores ut malevole atque invidiose, ita sordide ac barbare scripta, non est quod pluribus referamus, post aequissimam ejus censuram proditam Philom. L. III. p. 110—183. Epistolarum argumentum fere totum *Callimacheum* est, ex iisque luce clarius appet, quae fuerint Ruhnkenii partes in illa hujus Poëtae editione, quam, ipso et Hemsterhusio juvante, protulit Ernesti a. 1762. Quo in libro quum frequentem Ruhnkeniani nominis mentionem fieri, res ipsa loquatur; singula loca si quis quaerat, ei satisfaciet Editoris Angli diligentia, qui ea indicavit Praef. p. xxvi. Praeterea vero nonnulla ejus reperiuntur inter Testimonia Veterum de Callimacho, p. 590. Ex iisdem porro Epistolis, de Ruhnkenii operâ Ernesto praestita in reperendâ *Corradi Quaestura* a. 1773, constat uberioris quam ex Wyttenebachii narratione in Vita Ruhn. p. 164 sq. Vid. Ep. I. p. 820. IV. p. 832. Quae denique superest Epist. XV, hanc nobis non Tittmannus, sed, ut suo loco significavimus, suppeditavit SEEBODII Diarium Germanicum, nomine *Bibliothecæ Criticæ* inscriptum.

Ex eodem Diario profectae sunt, quae literas ad Ernestum excipiunt, III. ad Ritterum Epistolae: quas, vellemus, superioribus proxime subjicere licuisset, nisi Seebodii liber sero in manus incidisset

nostras. Incidit autem rara quadam felicitate, de qua eo magis laetamur, quo magis dolendum fuisse, si notitiam nostram fugissent literae illae, cum aliis de causis memorabiles, tum vero propterea quod iis, quae de oblata, Ruhnkenii commendatione, Rittero Juris Publici in hac Academia cathedra prodita sunt in Vita Ruhnki. p. 87 — 89, mirum quantum affundant lucis,

Sequuntur jam singulares Epistolaes Epistolarumque fragmenta, ex multis aliunde locis petita, de quibus breviter adhuc dicendum est. Ac de prima quidem ad V. Doct. *W. F. van der Wilp*, qua occasione scripta sit, supra diximus. Eam excipiunt *Fragmenta Epistolarum ad J. D. Lennepium*, eximium Valckenaerii discipulum, qui Groningae primum, deinde Franekeræ bonas Literas tradidit; ut constat ex Valckenaerii ad Phalaridis Epistolas, ab illo ad editionem paratas, Praefatione. Cf. Bibl. Crit. P. II. p. 63 sqq. 74. Eidem Lennepio, Coluthi carmen de raptu Helenæ a. 1747. edenti, gratulatus fuerat Ruhnkenius *Carmine Graeco*, unico, quantum novimus, poëeos Ruhnkenianaे monumento, quod retulimus in Opusc. p. 70. Eidemque, praeter collationem Codicis Ms., in gratiam ejus ab amico Reimaro Hamburgensi impetratam, ejusque libello subjectam in Addendis p. 198 — 203, paucas suppeditavit observationes, quae leguntur

ibid.

Ibid. p. 205, 206, 207, sed cum argumento Coluthi arctius conjunctas, quam ut inde divelli possent. Quo pertinent, quae aliquando scripsit Rittero Ep. II. p. 774. *se etiam paucula suppeditante prodidisse Lennepii Coluthum, et quae in hujus Praefat. leguntur p. XIII.* Ceterum plures etiam Ruhnkenii literas subinde memorat Lennepius l. c. eique nonnulla accepta refert in Phalarideis p. 130 et 332; sed eas omnes post mortem Viri egregii cum aliis multis esse delatas, auctor nobis est Cl. Wassenberghius: qui quum in auctione librorum Lennepianorum sibi emisset chartarum fasciculum, in quibus scriptae essent Lennepii *Observationes et Conjecturae in multos Auctores Veteres Graecos et Latinos;* has inter exemplum reperit literarum ab ipso ad Valckenaerium datarum, unde illae ductae sunt reliquiae, quas nobiscum humanissime communicavit Venerandus Senex.

Proximae sunt duae ad Jo. Albertum Epistolae, quae, ut diximus, debentur Viro Celeberrimo Jo. nae Guilielmo Te Watero, nuper eheu, quamvis valde seni, Literis nostris, Academiae, Patriae, Ecclesiae, fatali necessitate erepto. Idem, pro sua humanitate, nobis pollicitus erat apographum Diplomatis illius Wittebergensis, quo, post quinquaginta annorum intervalum, Ruhnkenium denuo Philosophiae Doctorem et Liberalium Artium Magistrum dictum esse, scripsit Wyttenbachius in

eius Vita p. 262. Ejus enim ajebat sese exemplum habere: at dolemus, in ditissimo, quem sibi collegerat Ven. Senex, Chartarum MS. aliarumque thesauro, ejus generis nihil reperiri potuisse.

Ut cum aliis doctis aequalibus, sic etiam cum Piersono literarum commercium Ruhnkenio fuit: ut patet ex iis quae leguntur ad *Moeridem Attic.* p. 114. Cujus Grammatici edendi auctorem sibi, cum Lennepio, fuisse Ruhnkenium, fatetur Piersonus in Praef. p. vi. eique sese debere ordinem verborum Moeridis e Cod. Coislensi, seu Sangermanensi, ineditumque Herodiani libellum, ait ibid. p. viii. et xlvi sq. Pauca, ipsis Ruhnkenii verbis in Addendis servata, in usum nostrum convertimus. Alia plura indicavit Ed. Angl. Praef. p. xxv. Quod superest, alterius Grammatici editori, G. Koenio, *Gregorium de Dialectis* a. 1766 ornanti, similem opem tulit, duorum exemplorum Collationes, plurimaque Apollonii Dyscoli fragmenta inedita, ei suppeditando; vid. Praef. p. xxxv, xxi, xlvi. Ruhnkenii literas ad se datas diserte memorat Koenius ibid. p. xviii. et ad Greg. p. 37 et 114. Reliqua hujus libri loca, ubi aliqua ejus mentio fit, notavit Ed. Angl. Praef. p. xxxvi. Ex his unam, eamque egregiam, de Dia- nae nomine animadversionem, pag. 140. proditam, repetivimus in *Miscell. Lat.* p. 710—713.

Epi-
eu[3] ****

Epistolam, qua Ampliss. Munchusio, Academiae Goettingensis Curatori, in defuncti Gesneri locum, Heynium commendavit Ruhnkenius, commemorat Wyttenb. in ejus Vita p. 113. Unde, quum constet Munchusium cum eo egisse per Illustriss. Jungium, probabile fit hanc esse ipsam illam *Ep. ad Jungium*, ab Heerenio in Vita Heynii servatam: quam eo magis inde repetendam judicavimus, quo dignior nobis videbatur, quae in exemplum ejusmodi epistolae commendatitiae et ipsa commendaretur.

Sequitur Fragmentum *Ep. ad J. F. Heusingerum*, e Bibl. Bremensi desumptum, quod item legitur in Ed. Londin. Initium commercii literati cum hoc viro, quo tempore exstiterit, patet ex Ep. ad Ern. VI. p. 844. cf. et p. 846. Post eundem impulit ad retractandum *Mallii Theodori de Metris* libellum, qui denuo prodiit ejus curâ Lugd. Bat. 1766. eique cum varietatem scripturae duorum Codd. Paris. suppeditavit, tum egregias quasdam observationes, quas in Miscell. Lat. transtulimus p. 710, 717, 740, 749, 755, 758, 761 sq. Fatetur item Heusingerus p. 63, ad edendum e Cod. Guelpherbytano *Pomponii Grammatici Commentarium* in utramque Donati artem, Ruhnkenium sibi adhortatorem exstitisse, interposita etiam Hemsterhusii auctoritate. Nam de *Nepotis Fragmentis*, Theodori libro subjectis p. 105 sqq. res est notissima ex Vita Ruhnk. p. 126 sq.

De insigni *Epistolae ad Wyttbachium* parte,
ex Ann. ad Plutarch. de S. N. V. desumta, non
est quod peculiariter dicamus. Nam de frequenti
horum duumvirorum commercio literato nemo du-
bitat, et satis superque constat ex plurimis Vitae
Ruhnkenii locis: vid. p. 170, 174, 193, 196, 199,
200, 202, 265, 274. item Ep. ad H. Bosschium,
Bibl. Crit. P. XI. p. xxxv. Quae omnia nostra
facere constitueramus, nisi integras literas editurus
esset Cl. Mahnius.

Similis ratio est *Epistolarum ad L. C. Valcke-
naerium*, e quibus cum duae nobis oblatae essent,
eas potius visum est Mahnio cedere, reliquis,
magnō numero a Wyttbachio collectis, adjun-
gendas: nam de fragmento, quod exstat in Vit.
Ruhn. p. 44. idem valet, quod modo diximus.
Interim non negligendas putavimus duas egregias
Ruhnkenii animadversiones e *Theocriti Decem Idyl-
liis a Valcken. editis a. 1773.* p. 98 et 202. Similes
aliae exstant ibid. p. 217 sq., 307, 335, 402: sed
illae omnes cum reliquo argumento arctissime
conjunctae. Omnino frequens est in hoc libro Ruhn-
kenii mentio, locis laudatis in Ed. Engl. Praef.
p. xxxviii. Quo pertinet, quod ait in Praef. p. IV.
Valckenaerius, *Parisini Codicis lectiones, emenda-
tiones quasdam, et ex ineditis Grammaticis per-
multa secum communicasse Cl. Ruhnkenium.* Si-
milem operam amico eruditissimo praestiterat an-

tea

tea a. 1754. in *Euripidis Phoenissis*, vs. 28,
216, 481. ejusdemque a. 1768 *Hippolyto*, vs. 77,
386, 630, 689, 890, 1038; ac pluribus etiam
Diatribes Euripideae locis, notatis Editori Anglo-
p. XXXVII: et praestitit quoque postea in *Theo-*
criti, *Bionis*, et *Moschi Bucolicis* a. 1779. un-
de, quae hoc pertinent, enotavit ejusdem diligentia
p. XLI. et insignes aliquot locorum Bionis emendatio-
nes retulit in hujus libri censura Cl. Wyttbachius
Bibl. Crit. P. V. p. 6 sqq. e quibus illam, qua
in Bionis Id. I. v. 77. pro vulgata lectione, ραίνε
δέ μιν μύρτοισιν, ἀλείφασι, ο. τ. λ. Ruhnkenius
feliciter restituerat, ράνε δέ μιν Σύρισισιν ἀλείφα-
σι, probavit item Burmannus ad Propert. p. 299.
Omnino in Bucolicis poëtis corrupta plurima sanas-
se Ruhnkenii acumen, nemo mirabitur, qui memi-
nerit quam diligenter olim in Theocriteis versatus
fuerit, ipso teste Ep. ad Ern. I. p. 815.

De Ep. ad Vaassenium V. Cl. qua ante nos item
usus erat Editor Anglus, suo loco diximus: uti et
de Narratione de Vitâ Ruhnkenii, quam, ab ipso
Latinè conscriptam, vernaculo sermone prodidit in
Anal. Pomeranis Ven. C. G. Hakenius. Ne quis
autem censeat nos nobis ipsos parum constitisse,
qui cum antea Animadversiones Platonicas, Gallice
scriptas, Gallice servassemus, hanc Notationem
Latinam denuo fecerimus; alia illarum, alia hujus
sunt ratio. Ac de illis quidem quae supra diximus

repetere, nihil attinet. Hanc attem, e Scriptoris manu Latino sermone profectam, Latinam quoque reddere maluimus, praesertim cum ei Latine scripta addita esset Epistola.

Missa, quae sequitur, ad *H. Bosscham* de *Eutropii metaphraste*, Capitone Lycio, Epistola nunc primum edita; alterius ad *Heerenium* pars, et integrae ad *Schweighaeuserum* de Scaligeri emendationibus Polybianis literae, exstant etiam in Ed. Lond. Cum eodem porro Schweighaeusero, Appianum edente, fragmenta inedita ex Grammatico Sangermanensi communicavit Ruhnkenius, T. III. p. 16—18.

Literas ad Virum Ampliss. *B. P. van Wesele Scholten*, insigni ejusdem Viri humanitati, quo par est grati animi sensu, acceptas referimus. Quae eas excipiunt, ad *Jos. de Retzer*, Hieronymi Balbi editorem, leguntur quoque in Ed. Londin. Illas ad *Hier. Bosschium* et *Spaldingium* Wyttbachii debemus indicio locis laudatis. Quae ad *Amicum quemdam* scripta, in Vit. Ruhnk. p. 260 servata sunt, nisi argumenti nomine, at propterea quia sunt Ruhnkenii, commemoranda erant. Alia vero eorum ratio est, quae ex literis ad *F. A. Wulfium* supersunt. Quamquam enim paucissima, insignem in illa brevitate vim habent ad cognoscendam Ruhnkenii de illa a Wulfio in Prolegomenis Homericis tractata quaestione sententiam, praesertim si, quod nos fecimus, cum Wyttbachii nar-

PRAEFATI^O LXXXVII

tionē conjugantur. Atque utinam integras literas, gratissimum sane futurum omnibus Literarum aman-
tibus munus, aliquando in lucem proferret Cl. Wolfius!

Et quandoquidem nunc in hoc argumēto ver-
sati sumus, juvat de aliis insuper Ruhnkenii literis,
tam ad cives, quam ad exterōs datis, referre. Igi-
tūr ne illas ad *Wesselingium* commōmemorēmus, quas
sibi in manus incīdīsse scribit Wyttēbachius Vit.
Ruhn. p. 86. vel et eas, quas sese ab eo acce-
pisse, testantur *Hultmannus* in *Miscell.* *Epi-*
graph. p. 441. et *Medenbachius Wakkerus Amoen.*
Liter. p. 40. *Musgravio*, quocum Parisiis ami-
citiam junxerat, profuit, cum in *Exercitationibus*
Euripideis, editis a. 1762, tum in edit. *Sophoclis*
Oedipi Tyranni, locis laudatis in *Praef.* Ed. Lond.
p. xxvi et xlvi. Profuit *Brunckio*, cui a. 1786.
Sophoclem edenti, praeter alia excerpta inedita, in-
signem opem tulit in condendo Lexico Sopho-
cleo, quo continentur multa e deperditis fabulis fra-
gmenta et voces a veteribus grammaticis enotatae:
de quo constat ex Brunckii *Praef.* p. vii. et libri
mentione *Bibl. Crit. P. IX.* p. 110. Profuit item *Vil-*
loisono, quocum quae ipsi fuerit necessitudo, patet
ex Vit. Ruhn. p. 163. et ex *Bibl. Crit. P. XI.* p.
130. In Prolegomenis quidem ad Apollonii Sophistae
Lexicon p. LXXXIV. epistolam ad se datam diserte
laudavit eruditus Gallus; quae ne in herēdū ma-

nibus pereat, praeeunte Editore Lond. Praef. p. xxxviii, optamus magis, quam speramus. Profuit denique, ne alios memoremus, Rev. Thomae Burgessio, Episcopo Menevensi, cui aliquando describenda permisit *Apographa sententiarum Philosophorum Veterum, et Variarum Lectionum in Aristotelis Poëtica*, e Codd. Vossianis; ac *Philemonis Lexici Technologici*, e Cod. Paris. quorum omnium debitae Ruhnkeniano nomini gratiae aguntur in Conspectu Musei Oxoniensis p. 7, teste Ed. Angl. Praef. p. xlvi sq.

Haec habui, quae huic Opusculorum Volumini, tam Editorum, quam meo nomine praemitterem. Nam de iis, quae suo loco omissa Addendis reservata sunt, aut alibi diximus, aut nil dicere attinet. Quod superest, quantum ex voluptatis et utilitatis ex illorum editione cepimus ipsi, tantum ut ex eorumdem lectione capiant omnes, qui hunc sibi librum comparaturi sunt, Literarum causa, etiam atque etiam speramus: et huic Praefationi finem imponimus versibus Cl. Wyttensbachii, Bibl. Crit. P. XI. p. 156: *Interest Literarum, interest studii elegansiarum et stili Latini, ne unam quidem sententiam, accurate conscriptam, intercidere illius omnibus laudati viri, qui inde a renatis bonis studiis unus in paucis eleganter scribendi facultate excelluit.*

S E.